



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Baptistae Bvrgi De Dominio Ser[enissi]mae
Genvensis Reip. In Mari Ligvstico Libri. II.**

Borgo, Pietro Battista

Romae, 1641

De Imperio Romanorum in eodem mari. Cap. V.


urn:nbn:de:hbz:466:1-13096

170 De Dominio Ser.^m Gen. Reip.

haberetur, vt Trogus testatur, cæterum Ligures non minus quam terrestre, maritimum imperium aduersus Romanos tutati sunt. Et quamuis multis cladibus fuissent afflicti, classem nihilominus deducentes P. Cornelio Lentulo, M. Boe-
^{1. Lih. 1.40.} bio Pamphilo Romæ Coss. maritimos Massiliensium agros reddiderunt infestos: neque prius imperium maris cessere, quam terrestri potentia spoliatis C. Mutienus Duumuir duas & triginta naues, quæ ipsis e tot cladibus superfuerant, ademerit, Gubernatoresque, ac nautas in carcerem coniecerit.

De imperio Romanorum in eodem mari.

CAP. V.

 ED Romani bello Punico secundo maritimæ oræ Ligusticæ maiori parte potiti, Corsicaque, ac Sardinia, maris dominium Liguribus adimere, & posita in Sardinia portibus classe, imperium exercere ceperunt.² Cum itaque Carthaginien-
^{2. Idem l. 28.} sis Mago, Amilcaris filius, ex minore Balearium insula, triginta ferme cum rostratis nauibus, & multis onerarijs, Ligusticum intrasset, nullisque Romanis præsidijs, aut classibus maritimam oram tutantibus, repentino aduentu Genuam cepisset, fecissetque prædam, ex Occidentali Liguria, decem tantummodo retentis rostratis in Saonæ portu, reliquas octo-

octoginta Carthaginem dimisit. Quod intelli-
 gens Cn. Octavius, qui cum Romana classe cir-
 ca Sardiniam nauigabat, Carthaginenses ag-
 gressus, omnes eorum naues cepit, captiuosque
 Ligures in patriam restituit; ¹ & cum idem Ma-
 go, rebus in Italia infeliciter gestis, in Africam
 renauigaret, ipsius paulo ante demortui classis
 magna pars a Romanis capta est. Veruntamen
 non ita cito Ligures maris dominium cessere,
 sed paratis sæpius classibus Romanis restitere,
 mare non solum tutati, sed ² in eorum etiam pro-
 uincias inferentes arma, donec tandè post varias
 clades, ³ anno a Roma condita IOLXX. P. Cor-
 nelio Lentulo, M. Boebio Pamphilo Coss. duæ &
 triginta Ligurū naues a C. Mutieno Duumuiro,
 vt retulimus, captæ, gubernatores, nauæque con-
 quifiti, atque omnes in custodiam traditi sunt.
 Tum Ligustini maris dominium Romanis ces-
 sit; cumque piratæ Mediterraneum totum inua-
 sissent, & occupassent, Pompeius, cui vt mare
 pacaret, a S.P.Q.R. data fuerat prouincia, cum
 classe Ligustico imposuit Gratilium, vt habet
 Florus ⁴, seu M. Pomponium, vt scribit Ap-
 pianus, ⁵ ipsumque a piratis purgauit. Non
 tamen semper Romani classes in Ligustico ha-
 buerunt; nam deleta Carthagine, exarmatis Li-
 guribus, & profligatis piratis, Mediterranei to-
 tius retinebant dominium, duabus tantum
 classibus, quarum altera Miseni apud Cumas, &

1. *Liuij. 30.*

2. *Idem l. 40.*

3. *Ibid.*

4. *Lib. 3. c. 6.*

5. *In Misbridat.*

6. *Sueton. in Aug. c. 49.*

Pu-

172 De Dominio Ser.^{ma} Gen. Reip.

Puteolos, custodiae inferi maris excubabat, altera
Rauennæ, ad superum mare tutandum, habebat
stationem; quo pacto Ligustici non modo sinus,
sed totius etiam Mediterranei dominium, cum
Romani, tum Græci Cæsares longum tempus re-
tinuerunt; Nam tametsi a Gothis, Vandalis, Hun-
nis, Herulis, Longobardis, aliisque barbaris po-
pulis, manubias, quas e tot tantisque gentibus
Romani fecerant, quasi repetentibus, afflictum,
ac dilaniatum Romanum imperium fuerit, cum
ij Mediterranei populi essent, neque rei nauticæ
vllam haberent notionem, maris imperium, aut
minime, aut parum perturbarunt, soli que Saxo-
nes in Oceano piraticam facientes Romanos in-
terpellarunt.

*Sarraceni Siciliam, Hispanias, Sardiniam,
Corsicam, Galliarum, ac Italiæ partem,
Mare Ligusticum, totumque fere
Mediterraneum occupant.*

C A P. VI.



T Sarraceni ex vltima proficiscentes
Arabia, non contenti sua fortuna, qua
Syriâ, Ægyptoque, ac totâ Africâ
Romanos deiecerant, maritimum eorum do-
minium oppugnare perrexerunt. Horreo cum
venit in mentem, quam fœde, quam crudeliter

in